

II R
2966

DE

AETATE LIBELLI,

QVI IVRA BENEFICIALIA TRADIT

ET CVIVS AVCTOR PLERVMQVE

VETERIS AVCTORIS DE BENEFICIIS

NOMINE INSIGNITVR

DISSERIT

ET

ORATIONEM

PRO AVSPICANDA IVS FEVDALIS DOCENDI PROVINCIA

RECITANDAM

INDICIT

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTOR, IVR. FEVDALIS PROF. PVBL.

FACVLT. IVRID. ASSESSOR EXTRAORD. ET ACADEMIAE

PROTONOTARIVS,

BIBLIOTHECA
POSNERAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

VITEMBERGAE,

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

de

ATA
OF VA

IS A

ROMAN

DE

ET

MA

AND

OF

THE

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF





Cum superiori semestri aestiuo, quo mihi munus ius feudale publice docendi, a SERENISSIMO PRINCIPE ELECTORE SAXONIAE, FRIDERICO AVGVSTO, *Patre Patriae clementissimo*, gratiosissime demandatum est, Historiam iurium, quibus in Germania utimur, praeunte Selchouio enarrarem, et de illis libris, quibus consuetudines feudorum continentur, agerem, prout debui, aegre tuli, tempora, quibus praestantissima Antiquitatis Germanicae monumenta, quae veteres leges tradunt, et beneficiorum consuetudines explicant, conscripta sunt, tam spissis obuoluta esse tenebris, ut coniecturis tantum aetas, qua libri compilati sint, tangi possit, praesertim autem dolui, veteris de beneficiis auctoris aetatem, ex quo, consentientibus fere omnibus, ii, qui ius feudale Saxonicum et Alemanicum lingua patria Saeculo XIII. explicauere, sua hauserunt, et quem, additis tantum nonnullis explicationibus, *κατα ποδα* fere in linguam Germanicam transtulerunt, tam dubiam esse, ut ne certo quidem affirmari possit an Repkouii, celeberrimi speculi Saxonici auctoris, aetatem praecefferit, cum in plerisque cum hoc Repkouio vetus auctor de beneficiis, ita, conueniat, ut vel Repkouius veterem auctorem in linguam Germanicam transtulisse, vel is, qui veteris de beneficiis auctoris nomine plerumque insignitur, Repkouii dicta, lingua latina expressisse videatur.

§. 2.

Varias quidem eruditissimorum hominum, de aetate huius libelli, sententias iam collegit IOANNES GODOFREDVS SCHAVMBVRG, in *Coniectura noua de Auctoris veteris de beneficiis vetustate*, quam inseruit IENICHENIVS *Thef. Jur. Feud. P. I. p. 347.* vt rem, iam ab aliis feliciter actam, denuo agere viderer, si in recensendis iisdem vanam gloriolam quaererem. At cum ea res, quae non nisi coniecturis disceptari potest, in vtramque partem disputando, veri tandem speciem accipiat, excusationem certe merebor, si gratissima mihi scribendi occasione oblata, cum orationi adituali praefandum sit, symbolam aliquam ad hanc rem adtulero et in ea, quae pro vna alteraue opinione stabilienda proferuntur, argumenta, diligentius inquisiuero.

§. 3.

Primus qui de hoc auctore bene meruit, est is, qui *librum vetustum de feodis, siue feudis, item de ordine placitationis et urbano beneficio per Aphorismos distinctum*, Coloniae Agrippinae apud Ioannem Birckmannum et Theodorum Baumium Ao. 1569. forma octona edidit, et FRANC. DVARENI *Commentario in Consuetudines feudorum*, cui IOANNES HAVICHORSTIVS *Monaster: IC.* summas rerum et sententiarum, mutuaque testimonia ad singula capita iam Ao. 1563. addiderat, denuo prelis expresso, adiecit. Nam, an Hauichorstius hanc repetitam editionem ipse curauerit, et hunc librum nostrum addiderit, dubium est, cum idem in epistola, Duareno praemissa, et Theodoro a Bronckhorst et Batenborch inscripta, quae data est Calendis Augusti 1563. nullam huius libri mentionem fecerit, nec alia praefatio repetitae editioni adiecta sit. Inde duplex apud SENCKENBERGIUM in *Prodromo Iuris feudalis*, quem a se edito Systemati Iuris feudalis Struuiano adiecit, in his verbis: „*Editus est primo Coloniae Agrippinae cum Duareni de feudis commentario Ao. 1570. 8. Adiecerat eum haud dubie IOANNES HAVICHORSTIVS editor. In praefatione de eo dictum inuenio*,” error est. Nam et annus editionis errore typographi, vt videtur, corruptus est, cum iam Ao. 1569. liber prodierit, et ea verba: „*in praefatione de eo dictum inuenio*,

uenio," in ea „*nihil inuenio*," mutanda sunt, quem vltimum errorem ipse typographus in erratis emendauit. Eadem autem, qua nos vtimur, Duarenı editione Senckenbergius vsus videtur, in qua liber vultus de feodis in pagina 396. incipit, et in 460. finitur, et in qua eadem variae lectiones, quas in Appendice II. *Emendationes textus Thomafiani, libri veteris de beneficiis*, complectente, ex veteri impresso SENCKENBERGIUS obseruauit, occurrunt, licet nonnullae illius diligentiam effugerint, quod vno tantum exemplo probabo.

§. 4.

THOMASII enim in *Selectis feudatibus* p. 129. Autoris veteris §. 100. ita refert: „*Quem autem vterque per iuramentum suum esse adfirmat, inter eos diuidatur, aut veritas reperiat de hoc per aquaticum Dei iudicium; tamen iudicium Dei non est licitum adhiberi per vllam causam, nisi cuius veritas per iustitiam non potest aliter reperiri, hoc terminabitur iudicio Dei.*“ in nostra autem editione haec verba leguntur: „*Quem autem vterque per iuramentum suum esse affirmat inter eos diuidantur, aut veritas reperiat de hoc per aquaticum domini iudicium tamen iudicium domini non est licitum adhiberi per vllam causam, nisi cuius veritas per iustitiam non potest reperiri, hoc terminabitur iudicio domini.*“ nec hanc variam lectionem obseruauit SENCKENBERGIUS, qui et in *Corpore iuris feud. German.* Thomafii lectionem sequitur, licet ea, quam ex veteri impresso adtulimus, si verba *aquaticum domini iudicium*, fide codicum, vel certa coniectura, in *aequum domini iudicium* mutari possent, alium plane et commodiorem sensum praeberet, innueretque, rem, quae per testium discordiam vel ignorantiam dirimi non potest, arbitrio domini directi committendam esse. Sed ne huic coniecturae locus sit, impedit *Ius feudale Saxonie*, quod *Art. 40.* lectionem vulgatam seruat, et Dei iudicio rem relinquit, his verbis: *Wat se sick beide to seggen unde gliche up den hilgen beholden dat schal men en gelicke deilen edder mit water ordel scheiden. Godes ordel mot men auer nicht don umme keiner hand sake, der dar men der warheit mit keyner wetenschop in kunde komen mach,* et

Ius *Provinc. Sax.* quod in *Artic. 21.* etiam rem de possessione ambiguum aquae iudicio dirimendam esse statuit, „*Suver die weisten me-
nen an deme zuge hat, de beheldet daz gut. En ist ez den umbe-
setzen nicht wischlich: wer ez in geweren habe so muz man ez wohl
bescheiden mit eine Wazzer urteil oder der cleger unde usse den die
clage get suld dazzu sieweren, daz si reche wisen ab ez ir sie das sal
der richter sine boten zu geben waz sie beide uf sieweren daz sal
man in gliche teilen.* Dubium quidem oriri posset, an aquae iudicio
lites inter vasallos diremtae sint, cum ense potius ii, qui gladio cincti
erant, controuersias dirimere solerent, vilioribusque conditionis per-
sonis purgationem per aquam calidam et frigidam relinquerent, deni-
que huic purgationi vulgari magis in criminalibus causis, quam in ci-
uilibus locus esset. Sed patet ex ABBATIS VRSBERGENS: *Chron. p. 209.*
Welphonem illustris profapiae Comitem, iudicio aquae frigidae inno-
centiam suam probasse „*Hic est ille Welfo comes (sunt verba CONR.
„a LICHTENAV) qui aliquando Imperatori Cunrado secundo, auxi-
„liante sibi duce Ernesto rebellauit, Augustensem quoque Episco-
„patum et Frisingensem, in praelio, quod habebat cum Brunone,
„Augustensi Episcopo, attriuit et plurimum comminuit, pro qua
„re tamen in fine satisfecit, et villas plurimas eisdem Episcopati-
„bus tribuit, in tantum, quod et iudicio frigidae aquae innocen-
„centiam suam probauit“ quae tamen iudicium aquae Welphonem
fubiisse docent, ut se omnia, quae iis abstulerat, Episcopis reddidisse te-
staretur, et iam obseruauit ex *Annalibus Francorum Bertinianiis*
*A. 876. CAROLVS DV FRESNE in Glossario v. aqua, „Hludouicum,
„Hludouici regis filium decem homines aqua calida, et decem fer-
„ro calido, et decem aqua frigida ad iudicium misisse, coram eis,
„qui cum illo erant, petentibus omnibus, ut Deus in illo iudicio de-
„claret, si plus per rectam ille habere deberet portionem de regno,
„quam pater suus dimisit ex ea parte, quam cum fratre Carolo
„per consensum illius et per sacramentum accepit;“ ideoque lites
etiam de dominio inter clarioris conditionis viros hoc iudicio aquae
decisas esse.**



§. 5.

Haec autem, quam commemorauimus, libelli editio, postquam prodiiisset, plures viros eruditos latuit, MARQVARDVM sc. FREHERVM, qui in *Commentario, quo de Feudis Constitutionem Karoli III. Imp. Crassi dicti, illustrauit*, licet hunc commentarium, vt ipsa libello praefixa epistola, tum IO. HENR. DAVID GOEBEL, in *vita Freheri*, eius commentariolo de secretis olim in Westphalia aliisque Germaniae partibus vsitatis postea abolitis iudiciis, praemisla, docet, Hanouiae A. 1599. igitur 30. annis, postquam cum Duareno libellus vetustus de beneficiis typis exscriptus iam esset, edidisset, huius libelli de beneficiis, vt nondum editi, mentionem saepius iniicit, illumque se in publicum daturum promisit, et CHRISTIANVM THOMASIVM, qui illum, quem Freherus saepius laudauit, libellum, se primum edere putauit, in *Selectis feudali- bus*, quae Halae 1708. prodierunt, et cum *selecta capita Historiae iuris feudalis Germanici*, tum *auctorem veterem de beneficiis*, vna cum duabus Dissertationibus, *de Auctore fato, vetustate ac raritate huius libri*, et *de eiusdem usu*, complectuntur, et qui etiam GOLDASTVM, SCHILTERVM, LEIBNITZIVM et EYBENIVM, magui nominis Iure consultos, eandem editionem ignorasse docuit.

§. 6.

De tempore, quo liber de beneficiis, (nam titulus de feodis siue feudis, cum feudi nomen in toto libello non occurrat, sed id, quod feudum dicimus, semper beneficium appelletur, sine dubio primo editori debetur,) compositus sit, primus, qui eandem, cum Duareni Commentario in consuetudines feudales, Coloniae 1569. typis excudendum curauit, ne ullam quidem coniecturam attulit, sed tantum in libri fronte, se cum DVARENO *Vetustum libellum de feodis siue feudis, et de ordine placitationis et urbano beneficio per Aphorismos distinctum*, incerto auctore, edere monuit. Inde MARQVARDVS FREHERVS in *Not. ad Constit. de Exped. Rom.* ad verba: *feodo suo*, primus, eum librum *αυθεντικον* putaret, aetatem huius collationis definire studuit, his verbis vsus: „habeo librum de beneficiis antiquum consuetudinibus illis vulgatis, (ius feudale Longobardi- cum intelligit,) vetustiore, nimirum, cum penes Saxones impe-
rium



„rium esset, scriptum;“ cuius sententiam deinde pluribus argumen-
tis comprobavit THOMASIVS:

§. 7.

GOLDASTVS autem et SCHILTERVS, licet huius libelli mentio-
nem faciant, de aetate eiusdem nihil desumunt. Nam MELCHIOR GOL-
DASTVS, qui, cum in *Collectione Consuetudinum et legum imperia-
lium*, quae *Francof. Ao. 1613.* prodit, p. 192. *Ius feudale sicut
apud Saxones, Bohemos, Brandenburgios, Holfatos siue Danos,
Silesios, Boruffos, Liuones, Polonos, Littuanos, Russos etc. ad-
huc reperitur, et a Saxonibus Friederico Imperatori tribuitur,
desumptum ex Statutis Regni Poloniae impressis Craconiae Ao. 1505.*
ederit, se eundem librum, quem Marquardus Freherus laudauit, pub-
lici iuris facere putauit, his verbis, in *Discursu prolegomeno*, vsus:
„Marquardus Freherus Consiliarius Archipalatinus, amicus no-
„ster in *Commentario ad Constitutionem Caroli III. Imp. de expe-
„ditione Rom:* subinde laudat et adducit codicem iuris feudalis,
„sub nomine vetustissimi auctoris de beneficiis. Qui Codex hic ipsi-
„simus est, quem nunc tibi exhibemus, liber iuris feudalis Saxo-
„num. Omnia enim illa fragmenta, quae ex suo Manuscripto co-
„dice Freherus refert, in hoc nostro libro verbatim extant, vt ap-
„parebit cuius ea cum nostro libro contendere volenti,“ nullam de
tempore, quo liber scriptus videretur, coniecturam adtulit, et in eo
errauit, putans Freheri codicem, ius feudale Saxonum, quod ipse
edidit, continere, et cum hoc in omnibus verbis conuenire, cum ex
iis, quae Freherus obseruauit, in suo codice nec semel feudi vocem,
nec feudalis nec infeudati, sed semper beneficii, beneficalis, inbene-
ficiati vocabulum occurrere, satis appareat, codicem Freheri ab Gol-
dasto non ad verbum expressum esse, vt iam docuit SCHILTERVS in
praef. ad Mincucc. §. 10. et THOMASIVS in *Schelt. p. 57.*

IO. SCHILTERVS autem, qui in *praefatione ad Ius feudale
Alemannicum*, Ottonem IV. cum Imperatores Germanorum, leges

— — — — —

9

ac consuetudines proprias magis magisque excolere ac obseruari vellent, collectionem a viro iuris patrii peritiorē factam, in Comitibus Ao. 1208. Augustae Noricorum habitis, auctoritate publica confirmasse, censet, hunc nostrum libellum, cuius exemplar in bibliotheca Marquardi Freheri extitit, *in praef. ad Mincuccium*, librum latinum feudalem fuisse primum atque communem Alemannis atque Saxonibus, ab Ottone IV. in Comitibus Noricis promulgatum, asserit, ex quibus verbis tamen, cum SCHAVMBURGIO *in noua coniectura* §. 2. Schilterum ad tempora Ottonis IV. descendere, nostramque compilationem eandem facere cum iure feudali Alemannico, colligi tuto non potest. Nam quamuis verum sit, Schilterum libellum nostrum in publicis Imperii comitibus Ao. 1208. demum publica auctoritate donatum esse, asseuerare, ille tamen hunc librum, his ipsis temporibus demum conscriptum esse, nullibi dicit, cum et scriptura antiquior, subsequenti demum tempore, publica auctoritate muniti possit, et ipse Schilterus, doceat, se libellum, quem Freherus laudauit, et quem Schilterus typis iam expressum esse ignorauit, a iure Alemannico feudali, quod ipse edidit, diuersum putasse, his verbis l. c. usus: „*Atque utinam Freherus, sicut promiserat, librum istum edidisset, aut adhuc ex eius bibliothecae reliquiis exquiri atque edi posset, non enim tantum ad rem feudalem magis, adhuc illustrandam multum conducet, sed etiam apparebit, non esse eundem ipsum, quem Goldastus edidit.*“ Nam si, se eundem libellum publici iuris fecisse, credidisset, sperare non potuisset, aliam libelli editionem ad illustrandam rem feudalem profuturam. Sed et huius opinionem, de confirmata Ottonis tempore legum Germanicarum collectione, nec ex iis verbis, sequi, quae *in fine iuris feudalis Alemannici* leguntur: *Diese Satzung, und dis recht als hievor geschrieben ist, geschah zu Nurnberg in dem gebotten Hofe an dem mentage nach Sant Martins tag des Bischoffs, do man zalte von Gottes geburte tusen jar in dem achten yore, des ersten yores unsers Richs;* et quae, ipso consentiente Schiltero, imperitia amanuensis corrupta sunt, me autem iudice, a sciolo librario, vt librum suum antiquiorem rarioremque redderet, sine vilo commodo sensu, cum libellus legis formam non habeat, et legislatoris nomen non exprimat, adiecta sunt, nec ex aliis a Schiltero allatis testimoniis, probari posse,

plures docuere, e quibus THOMASIVM in *Selectis Capit. Hist. iur. feud. Germ. §. 51. et VYRIVM in Erläut. des Lehn Rechts p. 183. sqq.* laudasse sufficit.

§. 9.

At CHRISTIANVS THOMASIVS, vestigia Freheri legens tandem, cum in *Selectis feudalibus*, quae Halae 1708. prodierunt, auctorem veterem de beneficiis ederet, in *Diss. de libri veteris de beneficiis auctore, fato, vetustate ac raritate*, collectionis huius tempora curatius definire studuit. Non solum enim docuit, hanc nostram compilationem, quae expeditionis Romanae a regibus Germanorum suscipiendae mentionem iniicit, post Caroli M. tempora, qui primus, vt ex rerum gestarum monumentis constat, Roman, vt diademate a summo Pontifice ornaretur, profectus est, scriptum esse, sed ex eo etiam, quod auctor Iuris feudalis Saxonici (in quo omnes facile consentiunt) libello nostro vsus sit, eumque *κατα ποδα* fere in linguam transtulerit germanicam, probavit, veterem auctorem, Epkone Repkouio, Speculi Saxonici compilatore, antiquiorem fuisse, cui, vt Codex Quedlinburgensis manuscriptus, Saeculo XIII. exaratus, in quo continuata Articulorum ferie, Ius feudale Saxonicum, Ius prouinciale, teste GAERTNERO in *praef. Spec. Sax. §. 10.* excipit, probare videtur, etiam ius feudale, quod Saxonicum, minus tamen recte, obseruante BERNH. FRID. RVD. LAVHNIO, in *entdeckter Wahrheit von dem sogenannten Sächsbl. Lehn-Rechte, als einer Sammlung gemeiner teutscher Lehnsgewohnheiten*, in SCHOTTII *Jurist. Wochenbl. de Ao. 1772. p. 369. sq.* appellatur, debetur. Denique Thomasius missis aliis leuioribus argumentis, ex loquendi formulis desumptis, coniecturam suam probare studuit, post Henrici Aucupis et Ottonum demum tempora, sed ante Conradi Salici imperium, auctorem vixisse, his argumentis, quod et beneficiorum vrbanoꝝ, quae ante Henricum Aucupem non conferebantur, auctor vetus mentionem faciat, et Principes Episcoporum homines factos esse doceat, quod ante Ottonum tempora moris non fuit, denique quod filiis quidem, sed non nepotibus, fratribusue in feudis successionem, quam per Conradi Salici constitutionem acceper, concedat.

§. 10.

Quamuis autem omnes, quantum sciam, iuris interpretes in eo consentiant, post Ottonum demum tempora, quibus Episcopi maiorem nacti sunt potestatem, et iura regalia consecuti sunt, libellum nostrum confectum esse, in tempore tamen ipso definiendo, in diuersas partes abeunt. Nam plerique THOMASTI argumenta, quibus sententiam suam, scilicet ante Conradi Salici tempora, auctorem vixisse, defendere studet, leuiora putant, quam vt iisdem fides tuto adiici possit, et recentioribus temporibus hanc collectionem vindicant. Ne enim in quaerenda huius libri origine, vltra Ottonum tempora ascendamus, nos impedit summa Ottonum in clerum, Episcopos et Abbates liberalitas, qua ducti iisdem integras prouincias, territoria et regalia concessere, quae deinde Episcopi aliis viris Principibus, cum vt potentiam suam stabiliarent, tum vt alios sibi deuincirent, beneficiarii iure tradere solebant. His enim temporibus, teste *Chronico terrae Misnensis*, in MENCKENII *Script. Rer. Sax. T. II. p. 220.* „Otto, Henrici filius, aedificauit ciuitatem Magdeburgensem, et ecclesiam cathedralem in ea fundauit. Hic etiam Wilhelmum filium suum fecit Archi Episcopum Moguntinum, et dedit ei ducatum Thuringiae et Hassiae: et sic Episcopi ceperunt regere Hassiam et Thuringiam.“ et idem Guilielmus, vt territoria melius defendi possent, vasallos nobiles sibi iunxit, quod docet ROTHIVS in *Chronico Thuring.* apud MENCKEN *l. c. T. II. p. 1660.* his verbis: „Da dis geschach, zoch der Bischoff Wilhelm in Doringin, und satzte vele edeler Lute an dy stat, da nu Erfforte ist, zcu Tabisfete, zcu Schilderad unde zcu Erfordisford, und behnte dy, uf das her das lant zcu Doringin behaldin und beschirmen mochte.“ denique plura liberalitatis, qua clerum Ottones profecti sunt, exempla apud alios extant Scriptores, vt BODONEM in *Syn-tagm. de Constructione Coenobii Gandesiani* apud MEIBOMIVM *Rer. Germ. T. II. p. 469.* LERBECCIVM in *Chronico Episcop. Mindens.* apud LEIBNITZIVM *T. II. p. 166.* et in *Chronico Halberstadiens.* apud LEIBNITZIVM *l. c. p. 118.* qui Ottonem II. Coenobio Gandesiano *ban-nos vrbales in Seburg et Greve* concessisse, Milonem Episcopum Mindensem, ab eodem Imperatore *regalia et banuum regum* accepisse,



pisse, denique Hildewardum Episcopum Halberstadiensem *mercatum*
in Halberstat et Ostericyck habendum, cum teloniis ac monetis,
et regio banno in utrisque locis tenendis et accipiendis, et regale
heribannum super milites, liberos et seruos eiusdem ecclesiae, ab
 Ottone III. Imperatore, obtinuisse docent, ne plura in hanc rem exempla,
 quae collegit SCHILTERVS in *Comment. ad Ius feudat. Alem. C.*
I. §. 1. afferam, quae Ottonis M. tempore demum Episcopus merum
 et mixtum accepisse docent imperium.

§. II.

Illud autem argumentum, quo THOMASIVS, auctorem no-
 strum ante Conradi Salici tempora vixisse, euincere studet, debilius
 omnino est, nec ab omni dubio vacuum. Constare enim censet ex
 libelli nostri §. 5. 20. 24. 25. 44. et 76. quod eo tempore, quo scri-
 ptus est, filii iam in feudis parentum successerint, et quidem filii so-
 lum, non nepotes, indeque concludit, eo tempore, quo libellus pro-
 dicit, nondum Conradi Salici constitutionem produisse, quae nepotes
 etiam ad feudalem successionem admisit. At licet negari non possit,
 argumentum hoc magnam veri speciem habere, cum ex rerum gesta-
 rum monumentis constet, Conradum Salicum, siue Idum in Italia le-
 gem de successione nepotum ac fratrum in feudis tulisse, quam et CY-
 TACIVS in *V. Feud. I.* et emendatius deinde ex archiuo Capituli Cre-
 monensis MVRATORIUS in *Antiquitatibus Ital. medii aeni. T. I. p.*
699. et ex hoc HEILIGER in *libro sing. de Campis Roncalicis p. 43.*
 edidit, et adquam libri feudorum saepius prouocant *I. Feud. 16. et 34.*
 cum multi etiam, consentiente KOPPIO in *Hist. Iur. P. IV. Epoch.*
III. Thef. I. p. 140. in Germania de hac nepotum successione, in con-
 uentu Aquisgranensi, legem latam esse; ex WIPPONE in *vita Chunra-*
di Salici, apud PISTOR. *Script. rer. Germ. T. III. p. 469.* colligant,
 vel cum H. GEORG. LVD. BOEHMERO in *libr. de Indole et natura ex-*
spectatiuae et Inuestiturae feudalis, §. 61. p. 87. illud, quod in Ita-
 lia a Conrado diserte cautum fuerat, eiusdem Imperatoris aeuo in Ger-
 mania usu et obseruantia probatum esse, censeant: haec ipsa tamen,
 quae adferuntur, argumenta omnem dubitationem nondum tollunt,
 nec tempus certum, quo successio in feuda filiis nepotibusque, siue
 lege,

lege, siue consuetudine in Germania concessa fuerit, definiunt, indeque doctissimus quisque censet, tempus, quo feuda in Germania hereditaria facta sunt, non liquere. Nam et lex Conradi Salici, quam Ao. 1037. in Italia, in castris apud Mediolanum, tulit, et qua cauit, „*vt cum aliquis miles siue de maioribus, siue de minoribus de hoc saeculo migraret, filius eius beneficium haberet, si vero filium non haberet, et auaticum ex masculo relinqueret, pari modo beneficium haberet. Si forte Auaticum ex filio non relinqueret, et fratrem legitimum ex parte patris haberet, ille beneficium, quod patris sui fuit, haberet,*“ quae denique nepotibus, qui auaticorum nomine, vt docet CANGIUS in *Glossar. v. auaticus* intelliguntur, in feudis successionem aperte tribuit, primum ab aliis Imperatoribus, Lothario sc. et Friderico I. repetita est, *I. Feud. 19. et II. Feud. 55. §. I.* indeque temporaria fuisse, vel contraria consuetudine exoleuisse videtur, deinde lex in Italia lata Germanos non tenuit, cum vtrumque regnum monente CONRINGIO de *O. I. German. c. 19.* sua sibi iura semper seorsim obseruaret, nec principes regni Germanici, legum ferendarum, sed expeditionis bellicae causa, Imperatorem in Italiam sequerentur, denique Imperatores Italicam expeditionem non susceperent, vt statum Germaniae componerent, sed vt Italos in ordinem redigerent, et in Italia, vt est in *II. Feud. 58.* pro tribunali sederent, siue, vt docet RADEVICVS de *Gestis Friderici I. Lib. II. c. 13.* apud VRSTISIVM p. 454. curiam haberent, vid. KOPPII *Hist. Iur. P. IV. Epoch. 4. Th. 10. p. 166.* Ex WIPRONIS autem verbis in *vita Conradi Salici*, qui cum de conuentu Aquisgranensi, „*in quo rex excoelentissime Rempublicam ordinauit, ibique publice placito et generali concilio habito diuina et humana iura utiliter distribuit,*“ locutus esset, quaedam de regis virtutibus adfert, et haec tandem addit: „*Quaquam enim litteras ignoraret, tamen omnem clerum, cum amabiliter et liberaliter palam, tum convenienti disciplina secreto prudenter instituit. Militum vero animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferre sustinuit,*“ probari non posse, de successione feudali in Aquisgranensibus comitis legem latam esse, haec potius verba tantum indicare, Conradum ex aequitate et beniuolentia, paterna beneficia

ficia filiis non ademisse, ideoque Ludouicum piū, qui THEGANO *de Gestis Ludov. Pii. c. 19.* apud SCHILTERVM *Script. Rer. Germ. p. 74.* teste, *villas regias fidelibus suis tradidit in possessiones sempiternas*, imitatum esse, plures docuere, imprimis IO. GODÓFR. BAVER in *Diss. de Communi Saxonum manu ob neglectam renouationem amissa.* Lips. 1746. §. 2.

§. 12.

At concedamus hoc Thomasio, Conradi temporibus feuda in Germania hereditaria iam fuisse, et ad nepotes et fratres etiam transiisse, cum paullo post Conradum in beneficiis ecclesiasticis, feuda maiora palatina iam hereditaria fuisse, ANNALES CORBEIENSES apud LEIBNITIVM in *Script. Rer. Brunsvic.* probent, his verbis: „*MXLVII. significat Henricus rex, infeudatis Ministerialibus, oppidanis et toti congregationi Corbeiensi, quod Ronthart electo communi Principum consilio et sententia ad iudicatum sit, quod vniuersa officia ecclesiae suae ad nutum suum sint instituenda, exceptis quatuor principalibus, quorum bona nullius iustitiae vel astutiae interuentu ab ipsis officiis poterunt alienari, et quod officiatorum filii seniores et legitimi patrum officiis succedant pleno iure;*“ nihilo fecius hoc argumentum ad firmandam Thomasi sententiam, auctorem nostrum scilicet ante Conradi tempora vixisse, satis idoneum esse, negamus. Nam licet vetus auctor, in locis a Thomasio laudatis, nullam in successione feudali nepotum mentionem faciat, imo in §. 25. *hominem filio carentem in dominum possessionem beneficii hereditare*, et in §. 44. *filium, qui non vivit post patrem, non hereditare beneficium*, scribat, ex hoc tamen scriptoris silentio, ut recte docuit SCHAUMBURGIVS in *Coniect. noua* §. 4. colligi nondum potest, nepotes ab omni successione exclusos esse, cum et filiorum appellatione nepotes comprehendantur *L. 201. D. de Verb. Sign.* et hoc argumento etiam IVS FEVD. SAXON. quod his verbis *Artic. 20.* vtitur: *Der son der stirbet e deme Vater, der en ist nich ein Lehn Erbe, wend her mit nicheme Lehn beerbet ist;* temporibus, quae Conradum Salicum antecessere, vindicari posset, denique verba, quae adseripsumus, nihil aliud doceant, quam filios ante patrem mortuos, in feuda

feuda nihil iuris habere, nec ei, qui secundus in beneficio dicitur, siue
 cui expectatiua concessa est, ius adimere posse.

§. 13.

Praeterea grauiora sunt argumenta, quae, recentioribus tem-
 poribus hanc compilationem factam esse, docent. Non solum enim
 post ea tempora, quibus prodiit Constitutio de Expeditione Romana,
 quae Carolo plerumque Imperatori tribuitur, quem Carolum III.
 esse putat FREHERVS, sed quae meliori iure a SCHILTERO, SCHVRZFEI-
 SCHIO et GEBAUERO, qui eandem *cum Marquardi Freheri notis et*
praemissa de constitutionis editionibus, auctoribus et auctore
SCHILTERI Institutionibus Iuris feudalis Lipsiae 1728. editis, ad-
 iecit, CONRADO II. siue Salico vindicatur, hic auctor de beneficiis li-
 bellum composuit, sed etiam post illa tempora, quo Pontifices Roma-
 ni cristas tollere, regesque Germanorum despiciere, auctore Alexan-
 dro II. et inprimis Gregorio VII. siue Hildebrando, coepere. Nam,
 quod in lege illa de Expeditione Romana primum constitutum dicitur,
 vt ad expeditionem Romanam euntibus annus cum sex hebdomadibus
 pro induciis detur, et expeditio per totum regnum indicetur, illud
 consuetudini tribuit Auctor noster, ita tamen, vt laxamentum trium
 dierum, quod spatium ex aequitate deinde adiectum SCHILTERO *in*
Comment. ad Ius feud. Alem. c. VIII. videtur, addat, his verbis vsus
 in §. 14. „*Haec expeditio prius tribus diebus et anno et sex hebdo-*
madibus ante diem expeditionis cuiuslibet ex iustitia erit intimanda.“
 Sed cum leue hoc argumentum sit, et de ipsa Constitutionis aetate in-
 ter eruditos adhuc magna controuersia, denique de ipsius authentia
 adhuc dubitari possit, cum ABBAS VRSPERGENSIS *in Chronico p. 194.*
 sanctionem huius legis, „*vt, quando pro corona vel aliqua regni*
utilitate aut honore, Romana expeditio praepararetur, ad omnium
cum rege euntium praeparationem annus cum sex hebdomadibus
pro induciis detur, et per totum regnum fideliter indicetur.“ Hen-
 ricus V. temporibus non obseruatam esse doceat, his verbis vsus:
 „*In Epiphania Domini Ratisbonae Henricus colloquium cum prin-*
cipibus faciens animi sui propositum eis aperuit, scilicet quod
transalpinis partibus se exhibere vellet, quatenus et benedictio-
 „*nem*



„nem imperialem a summo Pontifice, Romana, quae caput mundi
 „est, in vrbe perciperet, et latas Italiae prouincias in societatem
 „regni Germanici fraterna pace et iustitiis ac legibus antiquis
 „commoueret, insuper ad omnia, quae defensio posceret ecclesiasti-
 „ca ad nutum patris Apostolici se promptum demonstraret. Arre-
 „tis animis omnium ad votum pie prouidi consulis, et indubitati
 „iam patriae amatoris, vir esse non crederetur, si quis a tam vi-
 „rilis uegotii consortio se subtrahere conaretur. Itaque sacramen-
 „to nimis voluntario in id ipsum, qui aderant, consentiunt, rex
 „alacre de huiusmodi expeditione per singulas Germaniae prouin-
 „cias instanter tractare non cessat: et licet terrente quorundam
 „animos ortu cometae syderis infausti, per sex fere mensum indu-
 „ciis regia munificus liberalitate datis, ubique inestimabilis pecu-
 „niae stipendiis, circa Augustum moueri undique exercitum impe-
 „rat,“ huic argumento diutius non immorabimur, sed grauius argu-
 „mentum, quo libellus noster, temporibus, quae Alexandri II. et Gre-
 „gorii VII. Pontificatum secuta sunt, vindicari potest, adferamus.

videtur in expeditione Romanam euntem cum sex principibus
 huiusmodi et expeditione regis in §. 14.

 Sumitur illud ex verbis, quae in §. 12. Auctoris veteris inue-
 „niantur: „Rex quem eligunt Teutonici, cum Romam vadit ordina-
 „ri, secum ibunt de iure sex Principes, qui primi sunt in eius ele-
 „ctione, ut pateat Apostolico regis iusta electio.“ Ea enim satis probant,
 auctorem Romano Pontifici iudicium de iusta regis electione
 tribuisse, ideoque post Gregorii M. Pontificatum vixisse, qui cum
 Chuniaci adhuc prioratus, ut dicitur, obedientiam administraret,
 Leonem Pontificem, teste OTTONE FRISINGENSI in Chron. L. VI. c.
 34. monuit, illicitum esse, per manum laicam summum Pontificem
 ad gubernationem totius Ecclesiae violenter introire, et qui cum
 Alexandro mortuo, absque consensu regis, per electionem Pontificatus
 honorem adeptus esset, primus, obseruante OTTONE FRISINGENSI L.
 VI. c. 35. regem Romanum excommunicauit et regno priuauit. An-
 te hunc enim Gregorium VII. nemo Romanorum praefulum, quippe
 qui, ut reliqui Episcopi, consentientibus regibus legebantur, regiam-
 que maiestatem venerabantur, arbitrium de iusta regis electione susce-
 pit.

pit. Is autem, qui dominatum Papalem primus exeruit, Hildebrandus, non solum in Synodo Romana Ao. 1074. regi ius in dandis Episcopatibus ademir, et laicos ab Episcoporum inuestituris semouit, sed deinde etiam regem Henricum, vt BERTHOLDI CONSTANTIENSIS *ad Ann. 1076.* verbis utar, *fidelitate hominum regno et communionem priuare, omnesque ei ad regnum iuratos, iuramento absolueret, non erubuit.* Ex hoc igitur tempore Pontificum audacia in dies crescere coepit, cum dissentientes ab Henrico IV. Germaniae principes, partes Pontificum sequerentur, et Imperatores ipsi, vt a saeuo censuræ ecclesiasticæ fulmine liberarentur, supplices interdum Pontifici fierent, et ipse ferocis animi Henricus IV. narrante ABBATE VRSPERGENSI in *Chronico p. 170.* Romam humiliter, utpote veniam ab Apostolico postulaturus, inimicis non sperantibus tenderet, inuentoque Papa in oppido Canusino ibi per triduum ante portam castris, deposito omni regio cultu, discalceatus et laneis indutus persisteret. Inde in electione regis Germanorum auctoritatem suam Romani praesules interponere coepere. Nam et Rudolphus, Dux Sueviae, Forchemi, *praesente legato Apostolico, qui, (sunt verba BRUNONIS in Hist. belli Saxon. apud FREHERVM T. I. p. 212.) cuncta, quae de regno nostrates utiliter disponerent, Apostolicae sublimitatis auctoritate firmaret,* viuo adhuc Henrico IV., suasu Gregorii VII. rex lectus est, et Henricus V. qui, cum inuito patre, a quibusdam principibus Ao. 1105. rex dictus, et monente CONRADO a LICHTENAV *l. c. p. 186.* Apostolicae sedis Pontifici debitam obedientiam professus esset, Ao. 1106. in conuentu Moguntino, primum a patre, referente eodem ABBATE VRSPERGENSI p. 189. deinde *ab vniuersis Germaniae Principibus, in regem iam secundo electus, ab Apostolicis quoque legatis, per manus impositionem catholice confirmatus est.* Denique mortuo Henrico V., vt testatur ROBERTVS de MONTE in *App. ad Chronogr. Sigeb. Gemblac. apud PISTORIUM T. I. p. 813.* „Ao. 1126. „Mense Augusto legati apostolicae sedis, et Archi Episcopi cum „Episcopis et optimatibus imperii, ex condito conuenientes Mo- „guntiae, sibi et toto Romano imperio de substituendo rege consul- „tarunt, et Lotharius, dux Saxonum vir sapiens et industrius et „ecclesiastico iuri deuotus, praepotens diuitiis et victoriis, omnium „assensu

assensu electus. Hoc ius cum viurpassent Pontifices, Germanorum reges, exemplo Henricorum, cautiore facti, ne dissidium inter sacerdotium et imperium ulterius glisceret, Praefulem Romanum comiter venerari non dedignabantur, et hanc ob causam non solum a Lothario, qui Pontifici multum debebat, referente DODECHINO in *Append. ad Mar. Scoti Chronic. ad Ao. 1125.* apud PISTOR *T. I. p. 671. legati pro confirmando rege Romam missi sunt, Gerhardus Cardinalis et Virdunensis Episcopus,* sed et Fridericus I. regiae maiestatis strenuus alias adsertor, teste OTTONE FRISINGENSI *de Gestis Friderici I. Lib. II. c. 4.* in ipsa inauguratione Ao. 1152. Aquisgrani facta, „legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, urbem „ac totam Italiam destinandos disposuit, de promotione sua in re- „gnum significaturos,“ quae tandem Romanorum Imperatorum humanitas effecit, ut anceps electionis negotium Pontifices ad se pertinere putarent, sibi que de iusta regis electione arbitrium asserere non dubitarent, indeque Innocentius III. Papa, Philippi Sueui nuntiis respondere ausus sit, „ad apostolicam sedem istud negotium principa- „liter et finaliter pertinere, principaliter, quia ipsa transtulit im- „perium ab oriente in occidentem, finaliter, quia ipsa concedit co- „ronam imperii,“ aegre licet ferentibus id Alemanniae Principibus, qui ne ad iura imperii manum cum iniuria vlla tenus extenderet, rogabant, cfr. HAHNII *Einleit. zu der deutschen Staats-Reichs- und Kaiser-Historie. P. IV. C. 2. §. 10.* imo idem Innocentius, referente OTTONE de St. BLASIO *ad Librum septimum Ottonis Frisingensis C. XLVIII.* „duos Cardinales ex latere, Hugonem videlicet „Ostiensem et Velitrensem Episcopum, et Leonem tituli sanctae „cruccis in Ierusalem, Presbyterum Cardinalem, ad Ottonem dire- „xit, ut auctoritate Apostolica, ad litem terminandam, data ab utris- „que pace, ad diem et locum conditum reges conuenirent, ibique „mediantibus Cardinalibus aliisque Principibus, quacumque „conditione pax inter eos (Philippum scil. et Ottonem,) reformaretur,“ et cum, excommunicato deinde Ottone IV. Anno 1210. Fridericus rex lectus esset, Papa, ad quem legati missi erant, „qui consilio et interuentu Dni. Papae obtinerent, ut a civibus et populo „Romano Fridericus Imperator collaudaretur, de ipso factam ele- „ctionem,

„tionem, narrante ABBATE VRSBERGENSI in Chron. apud VRSTISIVM
 „p. 239. confirmavit.“

§. 15.

Ex his scilicet manifesto colligitur, Auctorem veterem de be-
 neficiis, post ea demum tempora, quibus Praefules Romani sibi arbi-
 trium, de regis electione, iudicium ferendi, sumserunt, ideoque post
 Gregorii VII. Pontificatum, quo infelix illud inter imperium et sacer-
 dotium, quod regiae maiestati multum detraxit, ortum est dissidium,
 vixisse. Primus, ut videtur, hoc vidit NIC. HIERONYMVS GVDLIN-
 GIVS, qui, his temporibus demum libellum nostrum scriptum esse,
 in *Gundlingianis, Fasc. III. in Gedanken über die gesamte Hand
 außer Sachsen §. 15.* quae Halae Magd. 1715. prodire, et in *Diff.
 de Causa et Origine unionis et foederis electoralis*, docuit, illum-
 que vel Lotharii II. temporibus, vel paullo post, prodidisse, censuit.
 Nam cum animaduerteret, neque Imperatores ex gente Caroli M.
 oriundos, nec Ottones, Pontificum consensum curasse, nec ante Gre-
 gorii VII. tempora, regis electionem omnino liberam fuisse, cum ple-
 runque filius patri, vel agnatus agnato succederet et Forchhemi demum,
 cum a Saxonibus Suevisque Rudolphus rex lectus esset, teste BRVNONE,
 in *bello Saxonico*, apud FREHERVM T. I. p. 212. „communi consen-
 „su comprobaretur, et Romani pontificis auctoritate corroborare-
 „tur, ut regia potestas nulli per hereditatem, (sicut ante fuit con-
 „suetudo,) cederet, sed filius regis, etiamsi valde dignus esset, per
 „electionem spontaneam, quam per successionis lineam rex proue-
 „niret: si vero non dignus esset regis filius, vel si nollet eum popu-
 „lus, quem regem facere vellet, haberet in potestate populus“ Lo-
 tharium autem primum, obseruante DODECHINO, in loco supra
 laudato, legatos pro confirmando rege ad Pontificem misisse, obse-
 quioque suo, quod laudat INNOCENTIVS III. in *Epist. 29. in Regi-
 stro de Negotio Imp. p. 200.*, sedi Romanae placuisse, Lotharii de-
 mum temporibus, Romanum praefulem sibi arbitrium de regis iusta ele-
 ctione iudicandi arrogasse, ideoque librum nostrum his ipsis temporibus,
 aut paullo post scriptum esse, suspicatus est, cuius argumenti ra-

tio etiam plerisque recentioribus, qui post Lotharii Saxonis tempora, Saeculo XII. demum auctorem vixisse censent, probatur. Hi enim omnes post Conradi Salici tempora libellum prodiisse adferunt. Nam ne STRVVIT auctoritate utar, qui in *Histor. Iur. c. VIII. §. 15.* dubitanter, ad Thomafiam prouocans, librum priuata auctoritate Saeculo XI. vel XII. collectum esse scribit, HEINÉCCIUS certe in *praefat. ad Histor. Iur. civ. Rom. Germ.* eum paullo post Lotharium sub Conrado III. vel Friderico Ahenobarbo scriptum esse, docet, et HOMMELIUS in *Chronol. Iuris feudalis Praelection. in Mascouium praemissis*, veterum de beneficiis auctorem, cum Heinéccio, ad tempora Conradi III. qui Lothario Saxoni successit, refert, denique Ill. PÜTTMANNUS in *Proleg. Iuris feudalis §. 22.* huic sententiae accedit, immo ipse SCHAVMBVRGIUS, qui licet Gundlingii coniecturam, post Lotharii scilicet tempora librum prodiisse, reprobet, fatetur, Henrici vel IV. vel Vti demum temporibus, qui post Conradum Salicum, interiecto Henrico III., imperio praefuere, libellum scriptum esse. Nec argumenti huius grauitatem ii negant, qui aetatem nostri libelli ad tempora recentiora, et Saeculum XIII. referunt, quae sententia ipsi aliquando SENCKENBERGIO, ut in *praef. ad Corp. Iur. feud. Germ. §. 18.* testatur, placuit, cum auctorem veterem ipsum Epkonem Repkouium esse, non improbabili coniectura, suspicaretur, et ab GODOFR. MASCOVIO, in *Hist. Iur. Brunsv. Luneb. p. 15.* argumentis parum firmis ex, loquendi formulis tantum desumptis, defenditur.

§. 16.

Aliud quidem ex ipsis §. 12. Auctoris nostri verbis desumptum argumentum adfert GVNDLINGIUS, ut Lotharii temporibus eundem vixisse probet, et ad verba „*Rex quem eligunt Teutonici, cum Romanam vadit ordinari, secum ibunt de iure sex Principes, qui primi sunt in electione*“ prouocat, denique Lotharii temporibus primum, electionem regis Roman. non per vniuersum populum, sed viros principes peractum esse, ex scriptorum narrationibus obseruat. Sed cum hoc argumentum parum recedat, ab commento illorum, qui iam ante Friderici II. tempora, Septemuiris electoribus ius regem eligendi

gendi priuatiue adferunt, et ipse Lotharius, vt verba veteris auctoris, qui Curiae illi interfuit, quae ex ECCARDI *Quaternione veterum Monumentorum* adfert IO. IAC. MASCOVIUS in *Princip. Iur. publ. Imp. Rom. Germ. Lib. III. C. II. §. 118.* et quae haec sunt: „*Conuenientes omnes regni principes, primo decem ex singulis Bauariae, Sueniae, Franconiae, Saxoniae prouinciis principes consilio utiliores proposuerunt, quorum electione caeteri omnes assensum praebere promiserunt: Hi itaque tres ex omnibus, tam diuitiis, quam virtute animi praestantiores sc. Ducem Fridericum, Marchionem Liupoldum, Ducem Lotharium in concione designantes, vnum ex tribus qui placeret omnibus in regem eligi persuaserunt,*“ testantur, ab omnibus regni principibus electus, mortuo autem Lothario, generalis principum conuentus Ao. 1138. Moguntiae, teste OTTONE FRISINGENSI in *Chron. L. VII. c. 22.* regiae electionis causa indictus sit, „*et quidam principes timentes, ne forte in generali curia Henricus Dux Noricorum, per potentiam praeualeret, Confluentiae conuentum celebrauerint, ibique Conradum, Henrici sororium, praesente Theodiuino Episcopo Cardinali ac sanctae Romanae ecclesiae legato, summi Pontificis, ac totius Romani populi, vrbiisque Italiae assensum promittente,*“ Regem creauerint, immo Fridericus I. Sueuorum Dux, referente OTTONE de *Gestis Frid. I. Lib. II. c. 1.* ab omnibus primatibus petitus, cunctorumque fauore in regem sublimatus sit; denique plerisque ea sententia placeat, post Friderici demum II. tempora, quippe qui non a folis Principibus, quos hodie Electores appellamus, rex lectus est, vt testantur verba CONR. A LICHTENAV in *Chron. p. 239.* „*Anno Dni. 1210. Otto excommunicatus denunciatur. Tunc princeps Alemanniae, rex videlicet Bohemiae, dux Austriae, dux Bauariae et Lantgrauis Thuringiae, et alii quam plures conuenientes Fridericum Siciliae regem eligerunt in imperatorem coronandum, cui etiam olim, cum adhuc in cunis esset, iurauerant fidelitatem*“ Septemuirorum praerogatiuam in regis electione coepisse, praesertim cum tempus, quo Imperii Archi-Officia, quorum magna semper in eligendo rege fuit auctoritas, hereditaria facta sint, accurate definiri non possit, obseruante

feruante MASCOVIO in *Diss. de Originibus Officiorum anticorum*
S. R. I., leui hoc argumento, quo aetatem auctoris nostri probare
 fudet Gundlingius, diutius non immorabimur, licet eodem viros
 summa eruditione claros, vt Conradi III. temporibus libellum nostrum
 vindicent, vfos esse videamus. Nam his verbis vtitur HEINECCIUS in
praef. ad Histor. Iur. Rom. quae sua fere fecit III. PÜTTMANNVS in
Proleg. Iur. feud. §. 27. „quibus quaeſo temporibus magis conuenit
 „numerus ille principum senarius, quam Conradi III., quibus pro-
 „scripto Henrico superbo, et dubia aliquandiu Saxoniae et Baua-
 „riae possessione vnus ex primariis Germaniae principibus deerat,
 „adeoque sex tantum supererant, quorum suffragia in eligendis
 „Imperatoribus praerogatiua donari iam tum solebant.“

§. 17.

Negari quidem non potest, hoc argumento, si praerogatiua
 Septemuirorum in regis electione ante Saec. XIII. monumentorum anti-
 quitate probari posset, cum HEINECCIUS, et qui eam sequuntur senten-
 tiam, tum ipsius GUNDLINGII, qui quod principes Sueviae, Lothario
 imperante proscripti essent, ex Septemuiris vnum defuisse censet, et
 hac ratione libellum nostrum, qui sex tantum principum, qui primi
 sunt in regis electione, meminit, Lotharii temporibus vindicare stu-
 det, quodammodo confirmari, imo eodem argumento etiam ad Fri-
 derici I. tempora, quibus Dux Saxoniae, Henricus Leo, proscriptus
 erat, libelli aetatem referri posse, licet proscripto Henrico superbo
 Imperator Conradus III. Bernhardum, comitem Alscaniae, Ducem
 Saxoniae, Leopoldum Austriacum autem, Bauariae ducem fecisset,
 ideoque ex Germaniae principibus nullus deesset, numerus eorum po-
 tius, cum Henricus superbus Saxoniae et Bauariae simul praefuisset,
 eiusque prouinciae diuisae essent, quodammodo auctus videretur,
 proscriptus autem a Lothario, Conradus, Dux Sueviae, regnante eo-
 dem Lothario, pristinam dignitatem recuperasset, ipso GUNDLINGIO
 in *Gundlingianis P. III. p. 221.* teste, qui ad GODOFREDI VITER-
 BIENSIS versus.

Regnat

Regnat Lotharius, Cunradus amicus habetur,
 Summus et Imperii signifer ipse fuit,
 et OTTONEM FRISINGENSEM, L. VII. c. 19. nec non ad MONACHVM
 WEINGARTENSEM in *Hist. de Guelphis*, prouocat. Cum autem ve-
 rosimile non sit, Auctorem veterem ad id, quod per aliquod tempus
 tantum obuenire potuit, magis respexisse, quam quod ipsius reipubli-
 cae Germanicae forma exigebat, malimus, per sex illos, qui sunt pri-
 mi in electione cum SCHAVMBVRGIO intelligere, principes earum Ger-
 maniae gentium, quae nobilitate generis alios praecelluerunt, licet in
 designandis his populis cum eodem non omnino conueniamus. Ille
 enim laudato WIPPONIS in *vita Chunradi in cap. de electione regis*
 apud PISTOR. *Script. rer. Germ.* T. III. p. 463. loco, cuius verba
 haec sunt: „Dum conuenissent cuncti primates, et ut ita dicam vires
 „et viscera regni, cis et circa Rhenum castra locabant. Qui cum
 „Galliam a Germania dirimat, ex parte Germaniae Saxones cum
 „sibi adiacentibus Slaus, Franci Orientales, Norici, Alemanni
 „conuenere, de Gallia vero Franci, qui supra Rhenum habitabant,
 „Ribuarii, Lotharingi coadunati sunt,“ auctorem nostrum neuti-
 quam ad Septemuiros Electores, sed sex populos Germaniae cardina-
 les respexisse, censet, putatque, SAXONES, SLAVOS, FRANCOS Orien-
 tales, NORICOS, ALEMANNOS, et LOTHARINGOS praecipuos Germaniae
 populos fuisse. At quamuis de SAXONIBVS, FRANCIS, NORICIS, siue
 Boiuariis, ALEMANNIS siue Sueuis, et LOTHARINGIS dubia non orian-
 tur, cum LAMBERTVS SCHAENABVRGENSIS *de rebus Germ. ad Ann.*
1076. apud PISTOR *Rev. Germ.* T. I. p. 412. horum populorum du-
 cibis primas partes deferat, his verbis vsus: „Interea Rudolphus,
 „dux Sueuorum, Welff, dux Boiuariorum, Bertholdus, dux Ca-
 „rentinorum, Adelhero, Episcopus Wurtzeburgensis, Adelber-
 „tus, Episcopus Wormatiensis, et alii, quos reipublicae calami-
 „tas mouebat, in loco, qui dicitur Vlma conuentu habito statu-
 „erunt, ut omnes, qui reipublicae consultum vellent, XVII. Kal.
 „Noubr. Triburiam conuenirent, et variis cladibus, quibus per
 „multos iam annos pax ecclesiastica turbabatur, tandem aliquan-
 „do

„do malorum per tæsi finem facerent. Hoc SVEVIAE, hoc BAIOA-
 „RIAE, hoc SAXONIAE, hoc LOTHARINGIAE, hoc FRANCIAE Teutoni-
 „cae principibus denunciarunt, uniuersosque in commune per Deum
 „obtestabantur, ut omni excusatione relegata, cuncta priuatae rei
 „solicitudine posthabita hanc singuli communibus commodis vel ex-
 „tremam operam dependerent.“ et ALBERTVS STADENSIS in *Chronica*
 ad A. 913. sub Conrado potentissimos fuisse Principes in Bauaria,
 Suetiia, Francia, Lotharingia, Ducemque Saxoniae et Thuringorum
 dicat, SLAVOS tamen ad Germaniae populos relatos esse non puto, nisi
 Slauorum nomine SCHÄYMBVRGIVS, Boemos intelligi velit, quorum
 Ducem ad magnos duces, qui in comitatu Henrici regis fuere, cum
 bellum contra Saxones susciperet, refert OTTO FRISINGENSIS de reb.
 gest. *Friderici I. Lib. I. c. 6.* his verbis: „Fuerunt in comitatu eius
 „quatuor magni Duces, singuli cum singulis legionibus, Zuendebal-
 „dus DVX BOEMORVM, Guelfo DVX NORICORVM, Rudolphus DVX
 „SVEVORVM, Gotefridus DVX LOTHARINGORVM, et alii Principes,
 „Comites, Nobilesque innumerabiles.“ Sexta igitur gens Germa-
 niae celebris Boemi fuere. Nam ne BVRGVNDIONES huc referam,
 qui interdum etiam Germanis annumerati sunt, et quorum aliquas
 partes in comitiis Germaniae fuisse Henrici V. temporibus testatur
 ABBAS VRSBERGENSIS in *Chron. p. 189.* his verbis: „placuit tam re-
 „gi, quam primoribus ad sanctam matrem ecclesiam, tantos ac ta-
 „les a partibus istis legatos transmitti, qui et de obiectis rite ratio-
 „nem reddere ei de incertis sagaciter inuestigare, et per omnia uti-
 „litatibus ecclesiasticis sapienter consulere, sint idonei. Separan-
 „tur in hoc opus viri spiritu sapientiae pleni, dignitatibus natali-
 „bus et elegantia siue diuitiis praecipui, in illaque secundum Deum
 „siue seculum veneratione insignes, a LOTHARINGIA Bruno Trene-
 „rensis, a SAXONIA Henricus Magdeburgensis, a FRANCIA Otto Ba-
 „benbergensis, a BAIOARIA Eberhardus Eichstaedtensis, ab ALE-
 „MANNIA Gebhardus Constantiensis, a BVRGVNDIA Cuiensis, non-
 „nulli etiam nobiles de latere regis laicae professionis,“ nos impe-
 dit regni Burgundici ratio, quod a Germaniae regno separatum fuit,
 vt non solum docet idem CONRADVS a LICHTENAV in *Chron. p. 216.*

qui

qui Fridericum I. ex Burgundia terra uxoris suae, in Alemanniam venisse, ibique Ducem Henricum de traditione et crimine laesae maiestatis impetivisse scribit, sed pluribus etiam exposuit MASCOVIVS in *Diff. de nexu regni Burgundici cum Imperio Rom. Germ.*

§. 18.

Licet igitur omnes fere recentiores, ut supra monuimus, in eo consentiant, auctorem veterem de beneficiis, post ea tempora, quibus Gregorio VII. auctore, Pontifices sibi ius aliquod in reges Germanorum arrogauerunt, vixisse, et plerique eorum Gundlingium secuti, post Lotharii II. siue Saxonis tempora, libellum prodidisse censeant, haec tamen sententia non placuit SCHAVMBVVRGIO, qui in *coniectura nona de auctoris veteris de beneficiis aetate*, libellum nostrum Lotharii temporibus antiquiorem de iis potissimum causis censet, quod celebriorum legum, quae Lotharius de feudis tulit, ne scilicet feuda sine consensu domini directi alienarentur, oppignorarentur, et ut proscriptorum bona non regis proprietati, sed regno cederent, nullam mentionem faciat, licet leges has Lotharii tempore latas esse, GERVASIVS TILBERIENSIS, in *Otiis Imperial.* apud LEIBNITZIVM *T. I. p. 942.* his verbis: „*Hic (Lotharius sc.) legem feudorum primus instituit, sanciens, ut nullus feudum, vel partem feudi audeat vendere, seu impignorare, vel quocumque modo alienare, sine permissione maioris domini, ad quem feudum spectare dignoscitur,*“ et DODECHINVS ABBAS, cuius verba apud PISTORIUM *Script. rer. Germ. T. I. o. 671.* haec sunt: „*Rege apud Ratisbonam in commentu principum inquirente, praedia iudicio proscriptorum a rege, forsitoribus abiudicata fuerint, vel pro his, quae regni attinent, commutata, utrum cedant ditioni regiminis vel proprietati regis: iudicatum potius regiminis subiacere ditioni, quam regis proprietati,*“ locupletissimi testes sint. Hoc igitur argumento innixus, SCHAVMBVVRGIVS, auctorem nostrum paullo post Conradum Salicum, sed ante Lotharium Saxonem vixisse, ideoque compilationem in tempora Henricorum incidere, conicit, et hanc coniecturam

ex ipsius auctoris verbis §. 12. quae saepius laudauimus, et quae de expeditione Romana agunt, probare studet. Ea enim auctorem nostrum ius tribuisse Pontifici in regem Getmanorum, et Imperatorem, huic autem necessitatem imposuisse, vt Pontificem agnosceret iudicem, cui de electione peracta ratio esset reddenda, cuique competeret facultas, vel consensus sui interpositione electionem approbandi, vel dissensus sui declaratione eam irritam faciendi, docere, characterem scribentis exprimere, atque suspicionem, quod ex clericali obsequio in sedem Romanam Episcopo suo supremo pessime adblanditus sit, mirum in modum suffulcire, ideoque Henricianis potissimum conuenire temporibus, dicit, denique his ipsis scilicet Henrici IV. vel V. temporibus, Pontifices auctore Gregorio VII. potestatem sibi arrogasse putat, in actiones regum Germaniae inquirendi, et auctorem nostrum, partibus Pontificis addictum, non ab exemplo, sed ab eo, quod a regibus Germaniae Pontifex sibi praestare vellet, regulam desumisse, nec vnus Lotharii, qui DOBETHINO quidem teste, pro confirmatione dignitatis Romam legatos misit, sed propriae securitatis causa in verba Pontificis iurare, quam dira eius fulmina, exemplo Henricorum cautior factus, expectare maluit, exemplo, auctorem nostrum tantam tribuisse efficaciam, vt regibus Germaniae indistincte confirmationis a Pontifice impetrandae necessitatem imponeret, scribit.

§. 19.

Quamuis autem haec noua coniectura, quibus antiquior aetas libello nostro asseritur, veri quandam speciem, habeat, cum ea, quae semel tantum fiunt, legislatores praeterire soleant, ideoque solius Lotharii exemplo auctorem nostrum, vt tantam Pontifici tribueret in regem Teutonicorum potestatem, motum esse, vix probabile videatur, recte tamen docuit Illustris Academiae Marpurgenfis Antecessor IO. HENR. CHR. DE SELCHOW. in *Element. hist. iur. vniuers.* §. 377. et in *Geschichte der in Teutschland geltenden Rechte.* §. 348. nunquam eo audaciae progressum esse Gregorium VII. vel alium Romanum Pontificem ante Henricum IV. tum, nedum eo viuo, vt super electione regis cognitionem

tionem sedi Romanae vindicarent, eoque nomine regem in Italiam venire iuberent, nec in electione non dubia Germanos Pontificis consensum curasse, Lotharium autem Idum in dubia electione, cum sibi a Conrado, quem alii Principes, teste OTTONE FRISINGENSI *L. VII. c. 17.*, regem creauerant, metueret, Pontifici per omne vitae suae tempus plurimum detulisse. Hic enim Lotharius non solum pro confirmando rege legatos Romam misit, sed et referente DODECHINO *p. 672.* aduenientem Leodium Papam magnifice et cum tanta reuerentia excepit, vt narrantibus STRVVIO in *Corpore Hist. Germ. p. 361.* et MASCÖVIO in *Comment. de rebus Imp. sub Lothario II. et Conrado II. Lib. I. §. 21. p. 32.* stratoris vice fungi, virgaque occurrentium turbas dimouere non dedignaretur, denique, vt plures, sed non certa satis fide, tradunt, Romae antè coronationem iusiurandum vasallo potius, quam regi dignum, in haec verba: „Ego Lotharius Rex pro-
 „mitto et iuro tibi Domino Papae Innocentio, tuisque successoribus
 „securitatem vitae, et in membris et malae captionis, et defendere
 „Papatum et honorem tuum, regalia S. Petri, quae habes, iuxta
 „meum posse, recuperare,“ praestitit. Imo si dicendum, quod res est, Lotharius non primus fuit, qui rex lectus, Pontificem ita demissus veneraretur, sed iam Henricus V., cum suasu Pontificis patrem deseruisset, et imperium ante patris satum affectasset, partibusque Pontificis, qui Vatiniano fere odio patrem prosequeretur, se iunxisset, eiurata Henriciana haeresi, vt testatur ABBAS VRSPERGENSIS in *Chron. p. 189.* Apostolicae sedis pontifici debitam obedientiam professus erat, et amplissimam legationem Romam decreuerat, vnde, momente CHR. GOTTL. BVDERO in *Libr. de Legationibus obedientiae Romam missis, §. 9.* solemnis et obedientiae promissio et Legatorum obedientiae Romano Pontifici praestandae causa missio, originem cepisse videtur, ita vt Lotharius tantum in legatis Romam mittendis, eius vestigia legisse videatur, cuius exemplum, vt BVDERVS *l.c.* docet, plures deinde secuti sunt Imperatores. Ex quo, nisi me omnia fallunt, facile apparebit, ad veritatem magis accedere eorum opinionem, qui post Lotharii demum tempora, quibus reges Teutoniae Pontificia fulmina metuentes, Apostolicam sedem submisisse venerabantur, ideo-



que ipsi eadem summam in se auctoritatem tribuebant, librum scriptum esse, quam iis, quibus Henricus IV. eiusque filius, cum fede Romana acres inimicitias exercebant. Illis enim iam plura aderant Pontificiae auctoritatis exempla, his autem Henricus demum V. Papae obedientiam, quam tamen non ubique praestitit, promiserat.

§. 20.

Secundum autem, quo SCHAVMBURGIVS coniecturam suam confirmavit, argumentum, quod scilicet nullae Lotharii leges in auctore vetere de Beneficiis occurrant, facile retundi, eaque tela, quibus Thomasi sententiam ipse impugnauit, in eum retorqueri possunt. Est enim, ut utamur ipsius SCHAVMBURGII in §. 4. verbis, paullo immutatis, suspectae causae indicium, quod nostra collectio nullibi feuda inuito nec non consentiente domino alienari posse, vel feuda proscriptorum regi cedere doceat, ipsumque adeo argumentum a silentio sit desumptum. Praeterea necesse non erat, ut auctor, alienationem feudi, non consentiente domino factam, inutilem esse, doceret, cum ipsa feudorum ratio hanc alienationem iam prohiberet. Nam feudi dominium non pleno iure habet vasallus, idemque tanquam rem alienam possidet, rei autem alienae dominium, inuito domino, ad alium transire non posse, iuris manifesti est; denique, quod Auctor noster et de alienatione quaedam afferat, in §. 80. „Si quis voluerit dominum suo bona alienare, vel filio, vel alii alicui, qui de iure post mortem ea debet habere, si ea concedit, aut resignat, nihil illi in hoc proficiet, (THOMASIVS monet in *Select.* p. 123. forsitan legendum esse „officiet, licet et vetus impressum Colon. Agripp. 1569. vulgatam lectionem seruet) si in Warandia ea obtinuerit usque in infirmitatem de qua euadit,“ cui Aphorismo vetus quod laudauimus impressum haec adhuc verba addit: „propterea nullus abiudicetur beneficio,“ quae THOMASIVS tamen et SENCKENBERGIVS ad §. sequentem retulere. Haec autem verba docent alienationem, nisi traditio feudi secuta fuerit, vasallo non nocere, cuius rei rationem hanc adfert

SCHIL-

SCHILTERVS in *Comment. ad Ius feud. Alem. c. LXII. quod talis alienatio sit clandestina, atque furtiua quasi, qua si res alienata mala fide in domini potestatem reuerfa fuerit, vitium rei purge- tur, et quod feloniam tacite quasi remissa videatur*, qui tamen hanc de recuperatione causam, neque Lotharii, neque Friderici Constitu- tione decisam esse monet. Quamvis autem contra hunc, quem adtuli- mus, locum, quo alienationes, tempore libelli nostri conscripti, pro- hibitas iam fuisse, probari posse contendimus, quaedam moneri pos- sint, nemo tamen negabit, verba quae extant in §. 50. de ordine pla- citationis, „*Et si quis exponit sua beneficia absque domini licentia, dominus illi sententialiter praecipiat, ut ea infra sex hebdoma- des redimat, quod si non fecerit, domino suo vadiabitur;*“ satis probare, iam iis temporibus feuda non consentiente domino non po- tuisse valide oppignorari, ideoque partem Constitutionis Lotharii, non expresso Imperatoris nomine, ab Auctore nostro laudari, licet dubium adhuc sit, vtrum Constitutio Lotharii, cuius in libris feudo- rum saepius mentio fit, et quae a GERVASIO TILBERIENSI laudatur, in ipsa Germania prodierit, an ad Italiam tantum pertinuerit.

§. 21.

Eadem autem circa legem Lotharii, quam ex NODENCHINO lau- dat SCHAVMBURGIVS, vt feuda proscriptorum ditioni regiminis non proprietati regis cederent, monenda sunt. Nam licet negare nollem, hoc ipsum in generali Principum placito constitutum esse, indeque le- gis vim habuisse, causas tamen nullas video, quibus auctor noster, qui nullibi fere de iure publico aliquid adfert, moueri potuisset, vt huius sanctionis mentionem faceret, cum doctrinam tantum de feudis priuatis non publicis proponeret, ad haec autem priuata feuda Lotha- rii Imperatoris constitutio non spectaret.

§. 22.

Quae cum ita sint, dubium mihi non videtur, auctorem de beneficiis veterem post Lotharii demum tempora libellum composuis- se,

se, quin sunt quaedam, quae coniecturam firmant, libellum post Friderici I. demum tempora prodiisse. Constat enim ex CONRADI a LIGHTENAV *Chronic. p. 227.* Friderici I. demum temporibus constitutum esse, *ut Imperator quemlibet Principem posset euocare pro iniustitia ad locum quemcunque vellet, infra terminum imperii existentem, cum alii in causa Henrici Leonis contenderent, placitum tantum in terris eius, de cuius crimine quaeritur, haberi posse, ad hanc autem Friderici sanctionem, quae publico Imperatoris edicto promulgata est, ea spectare videntur, quae auctor noster in §. 64. de ordine placitationis habet: „Si autem superior dominus defuerit Teutoniae tempore terminandae sententiae, cum primo Teutoniam intrasse cognoscitur, ab illo die sententia reducatur infra sex hebdomades.“* Nec ea, quae docet in §. 4. Auctor noster: „Clerici et mulieres, in quibus, rustici et mercatores et iure carentes, et in fornicatione nati, et omnes, qui non sunt ex homine militari, ex parte patris, eorum et aui, iure carent beneficiis,“ a Friderici I. disciplina recedere videntur, qui teste eodem ABBATE VRSPERGENSI *p. 231.* in Comitibus Norimbergenfibus Ao. 1187. cavit, *ut proscripti omni feudali iure perpetuo carerent, et de filiis sacerdotum diaconorum rusticorum statuit, ne cingulum militare aliquatenus assumerent, et qui iam assumpsissent per indicem provinciae a militia pellerentur.* At cum idem Imperator simul sanciuisset, *ut quicumque alii damnum facere aut laedere ipsum intenderet, tribus ad minus ante diebus per certum nunciium suum eum diffiduciarer,* Auctor autem noster §. 16. de Urbano beneficio, inducias tantum noctis et vnius diei requirat, his verbis: „Nullo facto neuter eorum, (scil. homo et dominus) noceat alteri infra spatium noctis et vnius diei,“ mirum videtur post hanc Friderici constitutionem, quam successores eiusdem saepius repetiere, et Fridericus etiam II. Ao. 1234. v. DATT. *de Pace Publica L. I. c.*

4. p. 22. domino directo et vasallo, arcto fidelitatis vinculo coniunctis licuisse, post vnus tantum noctis et diei inducias sibi inuicem nocere, quo tamen argumento libellus noster ad tempora, quae Fridericum I. antecessere referri non potest, cum eadem iuris clientelaris dispositio, etiam in *Iure Feud. Alem. c. 149.* quod tamen ipso, antiquitatem eius fortiter asserente, SCHILTERO iudice, ante Saeculi XIII. initium non prodiit, inueniatur.

§. 23.

Ex his igitur, quae hactenus disputauimus, satis apparebit, tempus, quo Auctor vetus de beneficiis vixit, certis argumentis defini non posse, haud improbabilem tamen esse coniecturam, si hanc, de qua egimus, compilationem post tempora Friderici I. cuius leges tradere videtur, factam esse censeamus, adeoque non multum a vero abhorre SENCKENBERGII in *praef. ad Corp. iur. feud. Germ.* opinionem, sub auspiciis Friderici II. Saec. XIII. ab ipso Epkone Repkouio, celeberrimi Speculi Saxonici compilatore, conscriptam, deinde autem paucis immutatis in linguam Germanicam ab ipso auctore translata esse.

§. 24.

Sed iam mittamus eam, quam hactenus tractauimus materiam, dubiam certe, variisque ob ipsam antiquitatem difficultatibus obuolutam, et ad certiora progrediamur et recentiora. Singulari enim, SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS FRIDERICI AVGVSTI, PATRIS PATRIAE OPTIMI MAXIMI, gratia factum est, vt mihi, clementissimo EIVS iussu, prouincia, IVS FEVDALE in hac Academia extra ordinem PVBLICE DOCENDI, decerneretur. Quam gratiam PRINCIPALEM cum deuotissima mente agnoscam et venerer, vt quam plures grati animi testes

QX II 2966

X 2374712



testes habeam, more maiorum, nouam hanc prouinciam solemnī oratione capeſſam, publiceque SERENISSIMO PRINCIPI gratias agam, quas pro hac propensā in me voluntate debeo, maximas. Ne autem hic actus celebritate, quam ex instituto maiorum requirit, desitatur, TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VOS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PERILLVSTRESQVE LIBERI BARONES, VOS PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, VOS GENEROSISSIMI NOBILISSIMQVE CIVES, vos denique OMNES, qui musas, earumque cultores amatis, summa, qua docet, obseruantia, humanitateque rogo, vt in hac ipsa re, et frequentia VESTRA, me, in quem saepius multa patrociniū fauorisque VESTRI documenta edidistis, ornare, et orationi aditali, cui recitandae proximus Martis dies, XXIII. Decembris constitutus est, beneuole interesse, denique me, hoc ipso die solenni, omni Saxoniae, ob feliciter redeuntem diem natalem OPTIMI MAXIMI PRINCIPIS, sacro, *de Beneficiis, quibus SERENISSIMVS SAXONIAE ELECTOR, FRIDERICVS AVGVSTVS, VERVS PATER PATRIAE, et LITTERARVM STATOR MAXIMVS, hanc Academiam ornavit,* verba facientem, plaque pro salute OPTIMI PRINCIPIS vota nuncupantem, pro more VESTRO, id est, beneuole audire velitis. Certe si me voti compotem feceritis, non modo in me beneuolentiam, sed etiam in SYMMVM huius Academiae NVTRITOREM VESTRAM pietatem testatam facietis, me vero VOBIS semper ad quaeuis pietatis et humanitatis officia habebitis obstrictissimum. P. P. d. XII. Calend. Ianuar. A. O. R. MDCCLXXXIX.




mc



I. 59.3

II R
2966



DE

E LIBELLI,

BENEFICIALIA TRADIT

AVCTOR PLERVMQVE

TORIS DE BENEFICIIS

LINE INSIGNITVR

DISSERIT

ET

WERNSDORFFI

VS FEVDALIS DOCENDI PROVINCIA

RECITANDAM

INDICIT

WERNSDORFFIUS

VM DOCTOR, IVR. FEVDALIS PROF. PVBL.

SSessor EXTRAORD. ET ACADEMIAE

PROTONOTARIUS,

ITEMBERGAE,

MI CHRISTIANI CHARISII.

